



ANN. XXII - N. 135

MM. SEPTEMBRI et OCTOBRI

AN. D. MCMLII

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

## SUMMARIUM

Curiosa et jocosa . . . . .	<i>Mauleón</i>
Excello, excellui, excelsum? . . . . .	<i>Mir</i>
Conjectanea Graeca . . . . .	<i>Orth</i>
Nova et vetera . . . . .	<i>Sansegundo</i>
Occidi matrem . . . . .	<i>Lucesole</i>
Adnotationes stilísticae . . . . .	<i>Beltrani</i>
Per orbem – Certamen Capitolinum – Mensis Marianus . . . . .	
Bibliographia . . . . .	<i>González, Molina, Sarmiento</i>
Pueri, ludite in schola . . . . .	

# Curiosa et jocosa

## EPIGRAMMATA

### 272. – PRIMA SOCRUS

- Quis, puer, humani generis pater exstitit? – Adam.  
–Liber, an uxori junctus? –Id ille fuit.  
–Quis fuit illius conjux? – Ut traditur, Eva.  
–Adam primus homo cum sit, et Eva simul  
Femina prima, puer, quaenam socrus obtigit illis?  
–Serpens. –Quid profers, o scelerate puer?

### 273. – PROMPTISSIMUS PUER

- Nunc etiam, fili, summa tu in classe (1) moraris?  
Profectus tanto tempore nullus erit?  
Sit pudor, et studiis, si quid tibi consulis, insta!  
–Communis culpae cur reus unus agor?  
Nonne, quod in promptu est, ludii meus ipse magister  
Artibus in primis constitit ille diu,  
Doctor ut exsistat juvenumque senumque vicissim?  
Hunc tamen excultum quis neget esse virum?

### 274. – INTER LUDI MAGISTROS

- Esse tibi multos asinos pervenit ad aures.  
–Unicus in ludo dicitur esse tuo.

### 275. – PRAEFECTUS ET MILES

- Indutus miles civili veste, cohortis  
Praefectum pavido pectore forte via  
Vidit, et extemplo post parvam se abdidit ulmum.  
Qui, cum praefectus posteriore die:  
–Qui, factum est ut te civili veste viderem  
Indutum? –Nimium parva quod ulmus erat!

ISIDORUS MAULEON

---

(1) *Classis* = *sección* (Vid. QUINTIL.)

# PALAESTRA LATINA

---

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

---

## Excello, excellui, excelsum?

Hi, qui litteras Latinas ediscunt, pertractant aut alios edocent, facile dubitatione agitantur et haerent animo cum, lexica ac viros grammaticos consulentes, in oppositas incidunt sententias. Ea tamen difficultas, quae ex scriptorum verbis enascitur, enucleanda et investiganda est ut quaenam eorum sit mens et ratio plane appareat. Sunt enim lexica aut grammaticae quae Latinitatem classicam tantum respiciunt, alia vero etiam voces priscae et sequentis aetatis admittunt. Tempus igitur inquirendum quo verborum formae usitatae dicuntur ut tota res facilius componatur atque accuratius intellegatur. In iis exemplum afferri licet in verbo *excello*, cuius praeteritum ac supinum bene multi grammatici ac lexicographi silent, alii vero ea proferunt.

Scriptores consulamus et in primis veteres grammaticos: ex quibus Priscianus (*Instit. Gramm. K. 10, 36; 8, 96*) «Lucretius ab «*excello excellis*» infinitum protulit «*excellē.e*» paenultima correpta: *Omnibus ornatum voluisti excellere rebus*; Cicero vero in I epistularum ad filium: «quare effice et elabora, ut excelleas», quod est ab «*excelleo*», cuius praeteritum debet «*excellui*» esse. Idem tamen Cicero in Verrinis *praecellunt* protulit secundum tertiam conjugationem... «Supina in «*tum*» quidem exeunt, quae nascuntur ab unam (!) *l* habentibus, ut «*occulo occultum*»...; quae vero duplicant, per «*sum*», ut «*fallo falsum*», «*pello pulsum*», «*vello vulsum*», «*excello excelsum*»... (PRISCIANUS, *Instit. Gramm. K. 10, 36, 18*).

Probus (*Catholica, 3, 8 -K. p. 39, 4*): «*-lo* primae sint, *-lavi* facient ut «*caelo caelavi*»; tertiae vero correptae aut *-lui*, ut «*excello excellis excellui*»...

Diomedes (*Ars Gramm. I, K. p. 374, 17*) et Eutyches (*Ars, 2, 7, 8, -K. p. 477, 29*), Priscianus, alii (cfr. *Thesaurus L. L.*) duo accipiunt verba *excello -excelleo*, quae non nullis exemplis Ciceronis et aliorum scriptorum facile evincuntur (cfr. etiam ERNOUT, *Morphologie historique du latin, 234*).

Verbo *excello* praeteritum ac supinum vel maximi lexicographi adscribunt; sic FREUND. *ex-cello, -llui, -lsum, 3*; FORCELINIUS: *excello, -cellis, -cellui, -celsum, cellere, 3*... Ab *excelleo* est praeterit. *excellui*, quod agnoscit Priscianus *loc. cit.* et usurpat Gell. *14, 3 ad fin.* In quibus illi duo omnium iudicio *excelluerunt*. Idem sentiunt cl. vir Stephanus in Thesouro linguae Latinae et Calepinus septem linguarum; Thesaurus linguae Latinae *Monacensis* sic profert verbum: «*excello (-eo) -ui, (-elsum? cfr. excelsus), -ere (ēre)*», et Ernout-Meillet (*Dictionnaire étymologique de la langue latine s. v. 1. -cello*) *excello, -is, -ui, excelsum, -ere* (on trouve aussi quelques formes de *excelleo* sans doute d'après *emineo*).

Alii autem praeteritum apponunt, de supino vero silent; sic H. Goelzer, (*Dictionnaire latin-fr.*), Bréal-Bailly (*Dictionnaire étymolog. latin s. v. \*cello*). Alii denique praeteritum et supinum reticent ut Gaffiot, Echauri, Menge, Heinen. Spes in 2.<sup>a</sup> edit., cet., ex quibus Gaffiot et Menge subnotant praeteritum *excellui* in notula, et Spes in 3.<sup>a</sup> edit. parenthesi includit. Krebs-Schmalz in suo *Antibarbarus* monent praeteritum *excellui* reperiri tantum in Gellio 14, 3, 7, in Augustini Civ. Dei 1, 15; 8, 4, in Schol. Bob. in Cic. Arch., cui sufficiuntur alia praeterita: *florui*, *vigui*, *eminui*, *praestiti*. Walde-Hofmann habet tantum: ex compositis a *-cello* ortis *excello*, *-lsus*, *ere*.

Grammatici fere omnes —omnium saltem praestantissimi— verbo *excello* neque praeteritum neque supinum tribuunt: sic Rubenbauer-Hofmann (*Lectioes Latinae* 89, 125): *excellere excello* <praestiti praestaturus>; Oleza (*Gramática de la lengua latina*, I, p. 82, n. 249):

*excello*                      *excellens exstiti*                      *praestitum*                      *praestiturus*.

L. Ceci (*Grammatica latina*, 109, 93): *antecello -excello* [praestiti, praestaturus] *-cellere florui -excelsus* (agg.). — Gandino (*Esercizi latini*, parte 2.<sup>a</sup>) cujus haec sunt verba: «*Antecello, excello, praecello*, non hanno perfetto ne supino; al perfetto di *antecello, praecello*, supero, vo innanzi, sono superiore, supplisce *praestiti* (*praesto*, 1.<sup>a</sup> coniug.); al perfetto di *excello*, mi segnalo, sono eminente, supplisce *praestiti* o *florui* (*floreo*) o *excellens exstiti* (*exsisto*) o *eminui* (*emineo*) o *eluxi* (*eluceo*) (1).

Sommer (*Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre*, 359, b, p. 566) significat vim terminationis praeteriti in *-ui* remansisse in sermone Latino posteriore, quo non nulla efficta sunt praeterita quae aetate aurea non inveniuntur, sic *excellui, furui*, quam sententiam tenere videtur Ernout (cfr. *Morphologie h. du latin*, 291).

Ex quibus id facile inferre possumus:

- a) verbum *excello* aetate aurea praeterito ac supino caruisse;
- b) praeteritum *excellui* (ab *excelleo*) proponi a veteribus grammaticis; et a Gellio, Augustino aliisque aliquando adhiberi;
- c) pro *excellui* suffici aetate aurea *praestiti, florui, excellens exstiti, eminui*;
- d) supinum *excelsus* apud classicos scriptores nullibi reperiri;
- e) participium vero praeteritum et in primis adiectivum *excelsus* ab scriptoribus usurpari.

Id tandem animadvertas oportet eandem dubitationem in non nullis oriri verbis quae varie apud grammaticos et lexicographos proferri solent, sic in verbis *cado, fallo, arguo*, cet. quorum supina *casum, falsum, argutum*, profert Forcellinius eumque alii sequuntur ut Ernout-Meillet; plures vero grammatici de iis silent eaque tantum velut adiectiva aetate aurea admittunt (2).

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

(1) Cfr. etiam BERGER, *Stylistique latine*, 1942, p. 7, 19.

(2) Cfr. G. B. GANDINO, (*Esercizi latini*, parte 2.<sup>a</sup>, an. 1900) Il part perf. di *fallo* (inganno) ha valore di aggettivo: *Falsus*, falso (pag. 54).

*Acuo*, aguzzo, non ha part. perf. — *Acutus* si usa solo come aggettivo: acuto

Anche *arguo*, accuso, manca del part. perf.; vi supplisce il part. perf. d'*insimulo* (1.<sup>a</sup> contug.)

— *Argutus* è aggettivo: arguto, sottile.

*Fluxus*, part. perf. di *fluo*, ha valore di aggettivo: passeggero, instabile, caduco (pag. 56).

# Conjectanea Graeca

II. *Ad Heracleidem Creticum*, cujus «imagines itineris» Reisebilder edidit Fridericus Pfister (Vindobonae - Wien 1951). Heracleides περι τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι πόλεων scripsit; cf. *Geographi Graeci Minores*, ed Carolus Müller, I (Parisiis 1882) 97-110; denique cf. RE. VIII, 484-486 s. v. *Herakleides*, nr. 46. Loci infra laudantur ex paginis editionis Fr. Pfister.

72. 2 τὸ <τῶν> Ἀθηναίων. Heracleides semper articulum ante Ἀθηναίος locat; etiam hiatus tollitur.

72. 15 ἀναπαύσεις pluralis ponatur, quia tot pluralibus circumdatur ἀπάται, σκολαί, θέαι, cf. 76, 3 ἀναπαύσεις.

72. 16 solum τιμητά est vera forma hujus verbi. In ἀτίμητα prior α falso repetita ex α finali adjectivi πάντα. Hoc πάντα spectat ad τὰ γινόμενα, non ad τιμητά. Istud τιμητά effingit una cum πρώτα quasi figuram hendiadyoin et gradationem. τιμητά significat honesta, sed ἀτίμητα solum inhonesta.

72. 19 δουλείας in textu servandum est; nam agricolae Atticae in conspectu alienorum hominum liberalium advenarum se quodam modo servos esse sentiunt.

74. 6 ad ξενικοί βίοι cf. *Aristoteles*, 1324 a 16.

74. 10 διατάσει συνεχεῖς continua excitatione (agitantur Athenienses); cf. *Plutarchi Coriolan.* 21.

74. 26 versus olim sic fere se habuit:

τοιούτ' ὢν ξείνων ἐπι καταχεῖται σκότος.

80. 6 τοῖσδε = istis; de athletic cum despectu quodam dicitur.

82. 6 οἷα γε. Ista particula (non τε) vim corroborantem habet.

84. 4 verba sic transponenda sunt:

Κορωνία τὴν ἀλαζονίαν ἐν

Πλαταιαῖς; nam omnia attributa antecedunt, sequitur oppidum; ultro hiatus amovetur.

84. 11 εἰς θάλασσαν. Heracleides semper εἰς usurpat, non ἐς.

88. 14 γαῖς... γεωργοιμέναις; glebae aquis Krausindi fluvii provolutae.

90. 25 Ἕλληνας <πατρός> τοῦ Αἰόλου. Hellen fuit pater Aeoli. τοῦ Αἰόλου mutari non debet eo quod hoc loco agitur de ipsa lingua *Aeolica*.

94. 4 μεμψόμενος <τοῖς> Ἀθηναίοις, non Atheniensibus quibusdam, sed omnibus Atheniensibus opprobrium (collective) fecit.

EMIL ORTH

# Nova et Vetera


## ROMANORUM INSTITUTIONES

### De ulteriore Urbis incremento

«Romam —vocat Cicero— lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium» (*Cat.* 4, 6). Propertius autem: «Septem urbs alta jugis, toti quae praesidet orbi» (*Eleg.* 3, 11, 57). Et tanquam gentium dominam et κατ' ἐξουσίῃ Urbem dictam, in deorum numerum Rom·ni rettulerunt; 1 templaque habuit vel apud exteros. 2 Sic in Graecis veteribus nummis ΘΕΑ ΡΟΜΗΙ saepius inscribitur. Antequam vero ad illud gloriae culmen pervenit, quod nomen ejus profitetur, humillima habuit primordia. Nam ejus initium satis constat tam tenue fuisse, ut uno monte Palantio contineretur.

1. De Urbis nomine deque prima Romae forma. — Ut diximus, Romam a Romulo nuncupatam, quam maxime vero simile est. Ad etymon autem quod spectat, si Graecum fingimus nomen, idem sonat ac *robur*, sane conveniens terrarum victricis. Vetus autem opinio fuit urbem in monte Palatino conditam *Valentiamque* appellatam, ab advenis Graecis, verso Latino nomine, *Romam* fuisse dictam. 4

Circularis autem prima Romae forma, sicut rotunda semper urbium antiquarum fuit, ita ut quidam grammatici «urbem» ab «orbe» eruere commenti sint. 5 Romulus etenim eam primum quadratam condiderat, atque pomoerio clausit. Hinc Ennii



- 1 Theatrum Pompei
- 2 Circus Flaminius
- 3 Templum Jovis Capitolini
- 4 Curia
- 5 Comitium
- 6 Forum
- 7 Via Sacra
- 8 Templum Jovis Statoris
- 9 Circus Maximus

(Tabula desumpta ex opere *Les lettres latines*, R. MORISSET et G. THÉVENOT, Les Éditions de l'École, Paris, 1950).

ROMA SUB FINE REI PUBLICAE

versus «Ecquis nunc curat Romae regnare quadratae?» (*De Rep.* II, 6; SOLIN. POLYH. c. 2). Moenia vero ab ipso Romulo aratro, junctis bove et vacca, antiquo Etruscorum ritu designata esse veteres narraunt.<sup>6</sup> Hanc aedificandi rationem Romanos in deducendis coloniis servasse, castra quoque hinc semper fecisse antiquarii docent. De tempore autem quo Roma condita, recentiores in duplicem sententiam abeunt. Alii namque anno a. Chr. n. 752, alii 754 fuisse existimant: hi Varronianam, illi Catonianam rationem sequentes. Hinc nostra aetate plerumque, anno 753 condita computatur.<sup>7</sup> Diem urbis natalem fama fert XI Kal. Majas.<sup>8</sup>

2. Septem Romae colles et Pomoerium. — Ignorat nemo septem collibus impositam esse urbem, unde Prudentius: «Cum puer Mavortius fundaret arcem septicollem Romulus». Qua de causa «septicollis» postea dicta est, vel etiam «sacrum Septimontium»,<sup>9</sup> quamquam Romulus in Palatino solo aedificavit. Ceteros colles alii reges, dubium quo quisque tempore, adjecerunt. Auctores sunt non nulli qui Tullio Caelum, Anco Janiculum et Aventinum, Servio Viminalem, Quirinalem, Esquilinum adjectos tribuant.<sup>10</sup> Praeter septem istos montes, quos Livius, Dionysius, Eutropius urbi commemorant additos, sunt et alii memoratu digni: Clivus nempe Capitolinus, ut Cicero vocat *pro Mil.* 24 et *Phil.* 2, 7, qui et mons Tarpejus est, in praecipitio lateris saxum Tarpejum, rupes Tarpeja, unde damnati deiciebantur. Est quoque collis Hortulorum, cui impositum Domitiorum monumentum fuit, Suetonio teste (*Neron.* 50); et collis Vaticanus, ut Festus nominat, trans Tiberim, seu montes Vaticani, ut Cicero.<sup>11</sup>

A collibus Pomoerium (= *pone vel post murum*) discernendum est, quod ita Festus ex Augurium libris describit: «Pomoerium est locus intra agrum effatum, per totius orbis circuitum, pone muros, regionibus certis determinatus, qui faciat finem urbani auspicii». <sup>12</sup> Pomoerium ejusmodi ante Aurelianum saepe non mutatis moenibus, prolatum fuit (Cfr. LIV. I, 44). Muri ambitum Dionysius Halic. (4, 3) fere tradit Athenarum, sed urbem certis limitibus latissime extendi. Ceterum, alius muri quam pomoerii circuitus. His dictis,

3. De situ urbis, civibusque et lingua Romanorum primaeva pauca sufficiant. Roma in Latio, in Etruriae finibus et Sabinorum regionis sedecim a mari passuum millibus sita est. <sup>13</sup> Latium autem a latendo ducitur, quod Saturnus — ut fabula finxit — arma Jovis fugiens, in has oras delatus, et hominibus in rei publicae formam compositis, Latium eam regionem vocari voluerit. <sup>14</sup> Non convenit inter auctores an locus condendae urbis casu aut consilio captus fuerit (Cic. *De Rep.* 2, 3, 6; DIONYS. HALIC. 8, 8). Tiberis amnis ex Appennino oriens, urbem interfuit insulamque Tiberinam effecit. <sup>15</sup>

Incolarum autem numerus quantus in amplissima et florente urbe fuerit, e veterum notitiis recte constitui non potest. Lipsius, vir antiquitatis peritissimus, 4.000.000 posuit; Vossius autem, comparata cum Romae, Lutetiae et Londini amplitudine, 14 000.000 confecit. <sup>16</sup> At si forsitan haec exaggerata cuipiam videantur, meam sententiam afferam et rem facili negotio solvam: Scimus enim ex monumento

*Ancyrano* plebem urbanam tempore Augusti imperatoris esse 320.000 civium, praeter mulieres, senatores, equites; ita ut *plebs* sic dicta *libera*, non minus quam 650.000 esse posset. Jam vero, his addendae sunt servorum familiae, qui *plebem liberam* numero tunc temporis aequare pro certo est. Unde conicere licet incolarum summam, imperio certe Augusto plus minus 1.300,000 fuisse. Hunc tamen censum, quod ad me attinet, facile duplicaverim. Audiatur N. Theil: «Comme nous savons que cette cité continua de grandir en étendue et en population, du temps de Vespasien et de Trajan, nous pouvons, sans être trop téméraires, supposer que Rome sous le règne de ces empereurs renfermait 2.000,000 d'habitants». 17

Nunc ad linguam propero, qua de re postea fusius agemus. Aetas Romanorum prima, nullis etiam tum erudita magistris, cum scriptores nondum ullos haberet, quorum exempla sectaretur, in primis quodammodo linguae suae cunabulis balbutiebat. Postea secuta est artis disciplina, et elegantissimorum auctorum imitatio, quae rudem linguam perpolivit, brevique ad eam perfectionis dignitatem perduxit, quae florente Re publica viguit, stetitque quamdiu Romana res stetit. Tum exinde cum Imperio ipso sensim deflexit, et pristinam rursus ad infantiam, balbutientemque redacta est. Hoc ex auctorum Latinorum serie eorumque diversa scribendi ratione manifestum.

Jam ut hisce de Roma notulis, quas nostris Institutionibus tamquam praefationem praemisimus, finem tandem imponamus, haec dicta supersint. Romanorum Imperium a minima, ut vidimus, circum urbem ditione, quae sub regibus aucta magnopere fuerat, ad Caesarum principatus initia ita crevit, ut trium orbis partium regiones completeretur: a Septentrione scilicet, ad Danubium et Rhenum; ab Oriente, ad Euphraten; a Meridie, ad Libyae deserta; ab Occidente, ad Oceanum Atlanticum patens. Quos postea limites ultra etiam protulerunt Caesares, e quibus Augustus divisionem instituit accuratorem. Ita, Imperium Romanum, quo tempore latissime patuit, regiones in Europa complexum est Hispaniam, Galliam, Britanniam, Italiam, regiones cis Danubium, regiones item circa Aegeum et Nigrum mare. Nil ergo mirum, si immortalis illa Romanorum sedes a quodam historico appellata fuerit «Roma compendium orbis terrarum» (*Athenaeus*, I, B). Sed haec haecenus. Nunc res, quas diximus, sacras, in proximo numero adire licebit.

LEO M.<sup>a</sup> SANSEGUNDO,  
*monachus Montisserrati*

#### NOTAE

1) De dea Roma iterum sermo erit, cum scilicet de rebus sacris agemus. Romanorum sedes «urbs» dicta mox fuit. Proprie «urbs» de Roma, «ἄστυ» de Athenis, «πόλις» de Alexandria dictum est.

2) Vide Liv. 43, 5; Tac. Ann. 4, 37, 56. Qua quidem ratione apud poetas praesertim immortalitatis nomen Urbi tribuitur: «Romulus

aeternae nondum formaverat Urbis moenia» (TIBULL. 2, 5, 23) Et MARTIALIS 12, 8:

Terrarum Dea gentiumque Roma  
Cui par est nihil, et nihil secundum.

Aliquando *aeterna* absolute dicta est: SYMMACH. Ep. 2, 12: «Spatiari in foro urbis aeternae post acceptas a me litteras plerosque cognovi».

3) Haec almae urbis tenuitas suavissimis



poëtarum versibus est celebrata. Ade, sis, OVID. *Fast.* 1, 197 sqq.; PROP. Lib. IV, *eleg.* I et IV.

4) Ita Joannes Vossius: «A significatione ea qua valentem notat, nomen est *Romus*, quasi *valentem* dicas». Et paulo infra: «Urbs Roma a robore, ut *Valentia*». Cfr. etiam SOLIN. *Polyb.* c. I, et Festum in Romam. Alii tamen Romam non a Romulo dictam existimarunt. Ex his quidam Romulum ab urbe, urbem a *Rumon* vel *Rumo*, antiquo Tiberis nomine (cfr. SERV. *ad Aen.* 8, 69 et 9); quoad etymon cfr. WALDE-HOFMANN, *Latteinisches, etymol. Wörterh.* s. v.

5) ISID. *Etymol.* 15, 2. Vide etiam SERV. *ad Aen.* 1, 16: «Urbs dicitur ab orbe, quod antiquae civitates in orbem fiebant». Quam sententiam recentiores scriptores rejiciunt; cfr. ERNOUT-MILLET, s. v.

6) Marcus Porcius Cato in originibus: «Palatinum, in quo quadratam Romam condidit Romulus». «Dicta est primum Roma quadrata, quod ad aequilibrium foret posita» (JUL. SOLIN. *Polyhist.* c. 2).

7) Catoniana, vel Verrii Flacci, conditam facit anno post Trojam deletam 432, unde Dionysius Halic. 1, 74, anno primo Olympiadis 7, qui est ante Christum 751-2. Varoniana, quam e Plutarcho et Censorino, (*De Die Natali*), restituit Petavius, anno tertio Olympiadis 6. Vide Petav., *Doctr. Temp.* IX, 50, sqq. ♦

8) Id est, 21 m. April. Vide PROP. 4, 4, 71: Urbi festus erat, dixere Palilia patres:

Hic coepit primus moenibus ire dies.

9) VARRO, *L. L.* 5, 5, 41: «Ubi nunc est Roma, erat olim Septimontium, nominatum ab tot montibus, quos postea urbs muris comprehendit». Vide PRUDENTIUM, 10, 611.

10) Pauca de unoquoque dicamus. De Palatino: Palatium quoque dictus, corrupta, ut quidam putant, voce *Pallanteum*, cujus nominis urbs in eo monte fuisse ferebatur, eaque vel a cognomine Arcadiae urbe, vel a Pallante, Evandri filio, appellata. Qui famam de Evandro haec loca colente spernunt, his, consentaneum est, alia magis placeat; in quibus derivatio a balante pecore et a dea Pale (cfr. VARRO, *L. L.* VI, 3, 15; FEST. in Palatium). De Caelio: Caelius ad Orientem maxime Palatino, a Caele Vibenna, Etrusco (Cfr. TAC. *Ann.* 4, 64), sub Tiberio Augustus quoque dictus, (vide TAC. ibidem, et SUET. *Tib.* 48). Nunc a templo divi Laterani et gentis vetustae nomine Late-

ranus vocatur (Cfr. JUVEN. *Sat.* X, 17). De Aventino: Aventinum, inter Caesium, Tiberim et Palatinum, Ancus Martius devictis Latinis concessisse fertur. Ab Aventino, Albanorum rege, ab avibus, ab Avente flumine, aliisque appellatum quidam voluerunt. (Cfr. SERV. *ad Aen.* VII, 657). A templo Dianae collis Dianae dictus (Vide MART. 2, 18, 3; 7, 72, 1). De Esquilino: collium Romae maximum, inter Caesium, Viminalem et Palatium, ab Oriente moenia attingens, a Servio Tullio, ut volunt, urbi adjectus. Dictum faciunt ab excubiis Romuni, a quisquiliis. Nunc Palatii templisque insignis. De Viminali: inter Esquilinum et Quirinalem, dictus putatur a viminibus, vel a Jove Viminio, quem potius a monte dictum crederes. De Quirinali: Viminali a Septentrione, ab Oriente ad moenia pertinens. Hunc alii a Curetibus (id est a Curibus, oppido Sabinorum), alii a Quirino dictum volunt, unde collis Quirini vocatur, (vide FUSS. «Antiquitates Romanae», pp. 44-45, Leodii, 1826).

11) *Vaticanus*, valle a Janiculo, quem latioribus limitibus complectitur (vide PLIN. H. N. III, 5), separatur. Dictum alii a vatibus sive vaticiniis, alii a deo Vaticano finxerunt) GELL. 16, 17; Festus in «Vaticanus»). Mons vero Janiculum, Capitolino adversum (VERG. *Aen.* 8, 355), altissima urbis superat, cui pons Sublicius jungebat. Nomen vix dubium quin a Jano; sunt tamen, quibus alia placuerint.

12) Intra latissimum ambitum quot privata aedificia, insularum et domuum nomine distincta, fuerint, nec satis reperiri potest, et, nisi tempora discernas, absurdum quaerere. Quidam ad 48,000 numerum confecerunt; aliis minor placuit. In P. Victoris «Descriptione Urbis» (*Thes. Antiq. Roman. Graev.* vol. VIII) insulae et domus, in singulis urbis regionibus separatim indicatae; insulae omnes 46 602, domus 1780; Onuphrius Panvinius insulas facit 41.912, domos 2.117.

13) Vide descriptionem Urbis apud PLIN. H. N. III, 5.

14) Teste Vergilio, *Aen.* 8, 322: «...his quoniam latuisset tutus in oris». Idem gentem Latinam, quam a Latino rege habuisse nomen fertur, a Latio denominatam *Aen.* 1, 6, refert de Aenea dicens: «...dum conderet Urbem, inferretque deos Latio, genus unde Latinum». (Cfr. CELLARIUS, *Notitia Orbis Antiqui*», lib. II, 9, 3, p. 630).

15) Hanc insulam sacram dixit Procopius, Goth. I, 27, utpote Aesculapio sacratam, postquam draco Epidaurus, quem nave advectum pro numine habebant, in illam desiluit. Sic Epit. Liv. XI: «angue in insulam Tiberis egresso, eodem loco aedes Aesculapio consecrata est». Originem autem insulae T. Livius II, 5, mirabilem descripsit: «stramenti acervos, (ex Tarquinii agro flumen immissos, ibi) sedisse illitos limo, insulam paula-

tim advectis aliis, quae flumen fert, factam, firmam templis quoque atque porticibus sustinendis».

16) LIPSIUS, «De magnit. Romae», lib. 3. c. 3. Vossius, *Obs. de Ant. Romae magnitudine*, cap. 1.

17) *Dictionnaire Classique traduit en grande partie de l'anglais, de William Smith. Paris, 1884, p. 512, s. v. «Roma».*

## Occidi Matrem

*Cum sol aestivalis ferventior arva perurit  
post horam sextam, paulisper lumina dulci  
clausurus somno conscendi molle grabatum.  
At simul ac recubans contemplor tecta cubicli,  
ecce meo capiti duo monstra minantur ab alto:  
per murum velox descendit aranea, vespa  
quae circum volitans aurato abdomine pungit,  
gaudere insigni praeda sibi visa reperta.  
Emicui lecto rabidus, scloppoque furenti  
ambos allisi ad murum violentius hostes.  
Ut mihi mens rediit plena dua corpora clade  
obsero primum laetanti pectore fracta;  
dein sensim mecum meditor: «fatalis epeira  
haec mihi per somnum poterat corrumpere ocellos,  
quos tamen ipsa meo servabat vespa venenum  
infundens hosti...; grates cur morte rependi?  
Hic oculos sursum tollo...; laqueare sub ipso  
ecce luto, implicitus stat vespae nidus ad auras...  
Tunc edens gemitum: «non tantum vatis ocellos  
servantem, occidi matrem crudelior, inquam,  
dum teneris escam quaerebat sedula natis!...*

ALOISIUS LUCESOLE, *Presb.*

. González Catán, in Argentina

Corrige: in n. 133, p. 175, v. 91: *mutuae lege mutua.*

# Adnotationes stilisticae

## De complemento causae

Cum causa multis diversisque modis et a Romanis proferatur et a nobis, quasdam mente expendimus leges seu rationes quibus facilius locutiones nostras, a Latinitate fortasse absonas, vero et castigato sermone Latino exprimamus.

I. REGULA GENERALIS. — 1. Causa, propter quam aliquid accidit aut efficitur, ablativo *sine praepositione* efferri potest.

EXEMPLA: Id accidit praetoris *iniquitate* atque *injuria* (Cic.). — Plebs, *studio* rerum novarum, Catillinae incoepa probabat (SALLUST.). — *Nimio gaudio* paene disiplebam (Cic.). — Ceteri amici  *tuo dolore* maerent (Id.). — Adulescentes senum *praeceptis* gaudent (Id.). — Quidam *vitiis suis* gloriantur (SEN.). — *Diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria*, civitas laborat (LIV.).

II. REGULAE COMMUNES. — 2. Causa *personalis*, i. e. quae subjectum seu personam attingit, et causa *realis*, quae non pendet a loquentis iudicio, in accusativo, praepositis *ob*, *per*, *propter*, ponuntur. In oratione negativa, in iure jurando, in deprecatione interdum praepositio *per* adhibetur.

EXEMPLA: *Propter te* liber sum (Cic.). — Ego te, *propter humanitatem tuam* (=quod vere humanus es) diligo (Id.). — Multi *ob debilitatem* animi (=quod vere debiles fuerunt) et parentes et patriam prodiderunt (Id.). — *Per legatum Cineam* (nomen personae), animos donis temptavit (CAES.). — *Per valetudinem* proficisci non possum (oratio negativa) (Id.). — *Per dexteram istam iuro* (jus jurandum). — *Per deos immortales oro* (deprecatio).

3. Causa, quae medium seu instrumentum significat — praesertim si pariter personalis est — quibusdam substantivis in ablativo positis non numquam profertur, ut *ope*, *opera*, *auxilio*, *diligentia*, *cura*, *beneficio* ceterisque.

EXEMPLA: *Auxilio patris tui* miseria liberatus sum (Cic.), «por causa, por medio de tu padre he sido librado de la miseria». — Hic adulescens *beneficio Caesaris* salvus est (Id.). — Graecia *Themistoclis opera* liberata est (Id.). — Juravi rem publicam atque urbem hanc *mea unius opera* esse salvam (Id.). — Postquam *mei cura* discesserat (QUINT.).

4. Causam *impedientem* praepositione *prae* efferunt scriptores, eamque in negativa tantum oratione adhibent.

EXEMPLA: *Neque prae* lacrimis jam loqui possum (Cic.). — *Prae* verecundia loqui non possum (Id.).

5. Quam causam nos ope *substantivi verbalis* proferimus, eam saepissime in orationem *causalem, relativam* in *gerundium*, in *ablativum absolutum* commutant scriptores Latini.

EXEMPLA: Laudat Panaetius Africanum *quod fuerit abstinens* (Cic.). — Dolet mihi *quod tu nunc stomacharis* (Id.), («me aflijo por tu enojo»). — Actio maluimus iter *facere pedibus, qui incommodissime navigassemus* (Id.), («preferimos hacer el camino a pie, desde Accio, a causa de la infelicísima navegación que habíamos tenido»). — Improbus fuisti, *cum accepisti quod non licebat* (Id.), («oblaste mal por la aceptación de lo que no era lícito»). — *Mortem timens* non potest animo consistere (Id.), («por miedo a la muerte no puede descansar»). — Hoc velim, *ut, quod auctore te* («por insinuación tuya») velle coepi, *adjutore* («por tu ayuda»), *assequar* (Id.). — *Regibus exterminatis* («por el exterminio de los reyes»), libertas in re publica constituta est (Id.).

6. *Causa finalis* — quae substantivo verbali nostro interdum apponitur — variationes orationum finalium admittit; quod si finis simplici substantivo subjungitur, genetivum cum *causa* vel *gratia*, aut *accusativum* cum *ad* sibi aliquando adsciscit.

EXEMPLA: *Susceptenda bella sunt, ut sine injuria in pace vivatur* (Cic.). — *Expetuntur divitiæ ad perfrendas voluptates* («para el goce de los placeres») (Id.). — *Athenis erudiendi causa* («para su instrucción») missus est (Id.). — *Legati venerunt questum injurias* («en protesta de las injurias») (Liv.). — *Constat ad salutem civium* («para el bienestar de los ciudadanos») inventas esse leges (Cic.).

7. *Causa*, quae simul modum subnotat, saepe *gerundio* aut *gerundivo* effertur.

EXEMPLA: *Loquendi elegantia augetur legendis oratoribus et poetis* («con la lectura») (Cic.). — *Injurias ferendo* («por la paciencia») majorem laudem quam *ulciscendo* («por la venganza») merebere (Id.).

III. REGULAE SINGULARES. — 8. *Causa*, quae animi aut corporis exprimit motum, praeter *ablativum sine praepositione*, aliis modis produci potest:

a) si *causa affectiva* ex interna procedit ratione, tunc *ablativo participium passivum* adjungitur.

EXEMPLA: *Amore captus, motus* (Cic.), («por amor»). — *Misericordia commotus* (Id.), («por misericordia»). — *Inflammati cupiditate* (Id.), («por codicia»).

b) substantivum verbale, quo nos causam motus animi (=causam affectivam) exprimimus, Romani in orationem *infinitivam* saepe vertunt.

EXEMPLA: *Te abesse moleste fero* (Cic.), («siento pena por tu ausencia») — *Doleo te non valere* (Id.), («me aflijo por tu dolencia»).

c) verba quae motum animi aut corporis dolorem significant, praeter *ablativum*, alios etiam casus admittunt.

EXEMPLA: *Laetari, gaudere aliqua re, de aliqua re, aliquam rem, maerere, dolere aliqua re, de aliqua re, aliquam rem; gratulari aliqua re, de aliqua re, aliquam rem, pro aliqua re*. — Nam laetari omnes *de communi omnium salute sentio* (Cic.). — *Maereo casum ejusmodi* (Id.). — *In virtute recte gloriamur* (Id.). — *Nominibus veterum gloriamur* (Id.). — *Dolemus rebus adversis* (Id.).

9. Verba *accusandi, excusandi, absolvendi, arguendi, damnandi, reprehendendi, similium*, saepe et causam proferunt quae praeter *accusativum, ablativum* adjecta praepositione *de* admittit.

EXEMPLA: *Non committam posthac ut me accusare de epistularum negligentia possis* (Cic.), («no consentiré que en adelante puedas reprenderme por mi negligencia en la correspondencia»). — *Excuso tibi tarditatem meam* (Id.), («excuso ante tí mi tardanza»).

10. *Quaelibet causa* ablativo cum praepositione *ab, ex, de, pro* saepissime a classicis scriptoribus significatur.

EXEMPLA: *Ex maxima libertate* («por una excesiva libertad») tyrannus gignitur (Cic.). — *Quoad potui pro eo* («por él, a favor de él») dimicavi. — *Cum eo de amiculo rixatus est*, («riñó con él por un ceñidor»). — *Qua de causa* («por esto») creatus est L. Manlius (Liv.).

DOMINICUS A. BELTRANI, G. M. F.

# Per Orbem

## Certamen Capitolinum

*Omnibus prosae Latinae orationis studiosis hominibus propositum. MDCCCCLII*

Institutum Romanis studiis provehendis auspiciis Summo litterarum artiumque apud Italos Curatore et Romanae civitatis Magistro, ad novum prosae Latinae orationis certamen omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium majestate facundiae sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, honorificentissimum Romanae civitatis munus, in basi victoris nomen atque annum et diem certaminis praefereens. Huic sigillo Summus litterarum artiumque liberalium Curator centum denariorum Italico- rum milia ex aerario adici jussit.

Ceteri petitores, qui digni habitus sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, a civitate Romana item donato, qui in antica parte Capitolii imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri Summus litterarum artiumque liberalium Curator quinquaginta milia denariorum Italico- rum ex aerario jussit addi.

Exitum certaminis a. d. XI Kal. Majas a. MDCCCCLIII, die Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Romanae

civitatis Magister in oratione, quam de more habiturus est, renuntiabit.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

### LEGES CERTAMINIS

I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet; sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata ne mille et quingentis verbis breviora ne prius in lucem edita ne alio praemio ornata neve laude.

II) Quinque libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad «*Istituto di Studi Romani - Ufficio Latino - Piazza dei Cavalieri di Malta, n. 2 - Roma*» ante Kal. Februarias proximi anni non suo tamen distincta nomine ne in integimento quidem quo conclusa sunt, sed sententia munita quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti.

III) Quinque viri iudices erunt a Summo litterarum artiumque liberalium Curatore et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur; sin minus, una cum scidulis obsignatis tertio exacto mense post iudicium publicatum delebuntur igne.

D. Roma Kal. Jun. a. MDCCCCLII ab U. c. MMDCCV.

QUINTUS TOSATTI  
*Praeses Instituti*

# Mensis Marianus<sup>(1)</sup>

P. Praefectus rerum spiritualium ingreditur in scholam Latinitatis ubi pie *mensis Marianus* celebratur. Adsunt intus ANTONIUS, FRANCISCUS, PETRUS, JOANNES, hujus scholae discipuli praestantes.

P. PR. — Salvere quotquot in schola estis..., et certe nemo esse videtur, adeo silentium producitur!...

ANT. — Salvus sis, Reverende Pater. Re quidem vera, praeter nos nemo est; prae reverentia citius verba non fecimus.

P. PR. — Te non aspexeram... Ain' tu? nemo est?... Hui, tu solus turba es ..

ANT. — Minime, Pater. At quae te via in nostram scholam reportat? Numquid velis magistri Latinitatis vices explere?

P. PR. — Quidni?

ANT. — Hoc si affectas, Pater, vereor ne pervicacem suscipias provinciam...; quamquam aures sat avidas tibi libenter praebebitus.

P. PR. — O perbelle dictum! Tamen a malitia non discedis: te cognovi; laterem enim lavo... [*conozco el paño*].

PETR. — Sed quaeso, Pater, quae tibi causa est viae? An opera nostra eges?

P. PR. — Ad aures nostras forte fama venit de vestra in Beatam Virginem pietate et de aedicula Eidem apud vos dicata.

FRAN. — Nec mirum! scilicet res increpuit fama.

P. PR. — Ergo rumore commotus, mirari cupiebam illud ipsum sacellum, quod nisi omnia me fallunt, perbellum se mihi offert; illud est forsitan?

FRAN. — Ita sane, Reverende Pater.

PETR. — Ut vides, fecimus pro nostra virili parte; non tam pulchrum quam voluissimus, sed

•Non ebur neque aureum

Mea renidet in domo lacunar• (HORAT.)

P. PR. — Immo, pulchrum sane dico. Vestro

quidem Marte fecistis, nec sane aquam perdidistis. Pulchrum, pulchrum...

ANT. — Pulchrum et nos dicamus! Cur ritemur de lana caprina? Ni mirum cum sit ad nostram omnium laudem.

P. PR. — Miror quidem, carissime, vestrum ingenium. Decent valde ornamenta. Attamen, opinor, melius conveniret textura caerulea quam illa rubra: non enim est color virgineus...

FRAN. — At, Pater, Maria est Regina Martyrum..., quam ob rem ..

P. PR. — Ut lubet; sit ita. Cetera belle se habent, pulchrum, pulchrum dicam. At haec, o bone?

ANT. — Nonne tibi placet corona?

P. PR. — Lepidior sane si e rosis lilisque esset conserta.

ANT. — Hoc erat in votis, sed neque prata neque viridaria suppetunt et •pleno non turgēt sacculus ore•

FRAN. — Fasciculus iste ad dexteram...

PETR. — Quid tibi videtur?

P. PR. — Lepidi, venusti flores. Et Angeli quoque citharizant; o res pulchra!

PETR. — Et ille alius Angelus ad sinistram thuribulo ornatus?

P. PR. — Ad unguem factus, ad unguem... Omnia satis bene adumbrata. Sed in primis hoc stratum gramineum miror, sertum atque pineas nuces... tantum illud Horatii deest ut

•Obliquo laboret

lympha fugax trepidare rivo•..

FRAN. — Quidni etiam?

•In reducta valle mugientium

prospectare errantes greges•...

P. PR. — Optimus sane recitator, sed numquam tibi haerebit aqua.

ANT. — Poëtas cottidie evolvo; hinc poëtae ad manum:

(1) Hoc colloquium, alfabe elaboratum —quod editum quondam fuerat cum aliis dialogis ac multis iisque exquisitis loquendi rationibus in opere Guide de la conversation latine, 6.<sup>a</sup> ed. p. 384—, quibusdam parum immutatis ut facilius ab audientibus perciperetur atque intellexeretur, omnium plausu, ante alumnorum oculos positum est Barbastrī, in Collegio Claretiano, idibus majis, anno 1952.

•Navita de ventis, de bobus narrat arator;  
Enumerat miles vulnera, pastor oves».

P. PR. — Pergite, pergite, o boni; *nocturna versate manu, versate diurna*; et quod satius antiquiusque est, maximo semper in honore Virginem Mariam habeatis. Ut bene nostis, cum quis diligit Mariam, huic certe omnia ad votum succedunt.

FRAN. — Quod quidem in animis est; Immo pietatem cultumque erga Beatam Virginem assidua semper contentione promovere avemus.

P. PR. — Optime; nimirum hoc in Gymnasio apud condiscipulos.

FRAN. — Quae quidem res, suam quoque difficultatem habet.

P. PR. — His profecto difficultatibus magis in dies pietas et augetur et solidatur.

FRAN. — Quo modo autem, Pater, res peragenda est, ut recte procedat?

P. PR. — Quo modo? Dextra laevaue; modo sermone, modo factis, et non tam sermone quam factis. At quid istud est? Quid sibi volunt istae tabulae? Oh! carmina proscribuntur (*accedit et inspicit*).

JOAN. — Ita carmina. Id muneris nobis impo-  
sult magister ut sua quisque vice in laudem Deiparae carmen conficiamus.

FRAN. — Cotidie per mensem Marianum duo e  
scholae discipulis scriptiones et carmina in honorem Matris recitant.

P. PR. — Pie excogitatum. Sertum poëticum mihi videtur.

FRAN. — Ita, Pater.

JOAN. — Invitationem ad flores Henricus finxit.

### SERTUM POETICUM AD IMMACULATAM VIRGINEM (1)

*Invitatio ad flores*

O venite, cantilenae,  
fidiumque dulce murmur,  
properate; virginali  
teneros fovens vireto  
celebretur eja! Mater:  
properate, posco supplex,  
quia cor amore languet!  
Ad agros tuasque villas  
volat ecce cor, Maria... (2)

*Henricus*

P. PR. — Sane perpolitum opus ac simplici carmine.

*Maria*

Te, Maria, nostra Mater,  
adprecamur supplices:  
stella fulgeas per umbras,  
perque spiras vorticum,  
sospites qua dirgamur  
in sinum clementiae (3).

*Jacobus*

P. PR. — Placet etiam carmen.

*Viola*

Multi me pueri multae optavere puellae;  
nulla tamen laedent, nulla labella comam.  
Te viridans gramen, te desero, rivule vallis,  
quo mihi caerulea gratia fronte latet.  
Ad divos violae volat en festiva corolla,  
Virginis en humilis rite superbit apex.

*Gaudentius*

P. PR. — Id Catulli leporem et gratiam redolet.

JOAN. — Immo, etiam Catullum imitatus est, Pater.

*Rosa*

Veris honor, solis fragrans ridentis ocellus,  
En tibi virgineas roscida pando genas.  
Nec viridi timeas Matris me nectere serito,  
innuba dum roseas explico veris opes  
Muneribus gratum nitidis ornare sacellum,  
purpureasque comas usque dicare juvat.  
Pallida sed rutilis videor languere corollis,  
nam Mariae superat fulgura castus amor.

*Dominicus*

P. PR. — Pulchrum etiam.

*Canticum laudum*

Te sequi adopto,  
floscule florum!  
Teque per aevum  
tollere laude;  
solvere numquam  
hunc famulatum,  
optime florum!...  
Sancta o Virgo,  
me urget amare  
poena suprema,

(1) Carmina ab aliis discipulis legi possunt.

(2) VINAS, *Carm.* p. 250.

(3) VINAS, *Carm.* p. 246.

torquet et angor,  
 tantaque terrent  
 quae mala capto.  
 Noxa nefanda!  
 Sidus o ponti!  
 gaudii et ora  
 mole doloris  
 tristitiaequae  
 tende redemptum  
 me, integra ab alto  
 Domna, vigorem (1).

*Aloisius*

P. PR. — Delicati et elegantes versus, quibus  
 audiendis delectantur aures.

PETR. — En tandem Raimundum nostrum au-  
 diamus qui exquisitum effinxit carmen.

*Diva Virgo P. Praefectum studiorum allo-  
 quitur dum in schola praeest concertationi.*

Quos tacitum cernis juvenes consistere in  
 [orbem,

hic pietate bonam me, Dominamque colunt.

Assidui Matris certant ornare sacellum,  
 gratis et manibus munera parva ferunt.

Arboribus vix forma redit seu gratia campis,  
 ornatuque solum versicolore nitet;

vix humiles tepidis violae nascuntur in arvis,  
 occultumque caput detegit almus odor:

tunc varios nectunt flores per gramina ruris,  
 et veris praebent florida sarta mihi.

Aram nec teneris ab ovilibus imbuit agnus,  
 sanguine nec tauri tingitur ara mihi;

aurea sed pietas juvenes conducit ad aram,  
 quo veniunt puro fundere corde preces.

Virgo casta fovet; Divos manus integra furto,  
 compositique juvant nescia corda doli.

Ut mites igitur defendit pampinus uvas,  
 grate sic juvenes Mater amore tegit;

aut ovilibus qualis dum servat ovilia pastor,  
 talis erit quoque eis, me duce, certa quies.

Hinc adeo tristes, procul hinc discredite curae,  
 criminis hinc ultrix tuque, facesse metus.

Sed pax, castus honor, pietas et copia risus  
 hanc ornent sedem, munera sintque bonis.

*Raimundus*

P. PR. — Pastores, hedera crescente ornate  
 poetam... Perbelle omnino. Arduum sane  
 mihi foret decernere cuinam ex vobis pal-  
 ma debeat; ratum tamen habeo carmina  
 omnium Deiparae grata fore atque ac-  
 ceptissima.

En quod ego adhibui dum in gymnasio  
 [Cervariensi], paucos abhinc annos, apud  
 puerulos magisterium agerem. Male rem  
 fortunabant nisus et industria docendi.  
 Gens enim hujusmodi levissima est, legis  
 impatiens omni que pigritia ornatissima.  
 Quadam die ita mecum: Adhortatio et poe-  
 nae nihil promovent Quot ego praecepta  
 dedi! Quam multa de pretio temporis, de  
 informando litteris ingenio, de laude hu-  
 manitatis disciplinae locutus sum! At  
 frustra; in ventum vires quam plurimum  
 effundo. Fraude nunc proficiendum est,  
 pia scilicet

Tum ad juvenes: «Migrabit hodie de  
 caelo ut inter vos veniat Maria, benignis-  
 sima Virgo, Mater Dei». Mirari omnes.  
 «Quid vero?» conclamant. Tunc ita pergo:  
 «E caelo descendet Regina Angelorum; im-  
 mo subsellia lustrabit, et per hebdomadem  
 vicissim ante unumquemque vestrum con-  
 sistet. Tempore autem quo quisque ante se  
 sedentem possidebit Matrem benignam,  
 omni honore Eam prosequatur. Absint  
 igitur. intempestiva garrulitas et nugatoriae  
 artes. Vae vafellis! ne peregrinentur aures;  
 at studium, intentus animus et ingenuitas  
 prodeant».

Plausum impertit puerilis turba; aridet  
 propositum; nec ultra exspectatio; et sor-  
 titione facta, signum Mariae corona adorna-  
 tum, admotis utrimque floribus, in sub-  
 sellio rite constituitur. Hinc mirum in  
 modum calere reverentia, silentium et  
 quaedam inaudita aemulatio ad studium.

FRAN. — O consilium sane lepidum!

ANT. — Laute ac fauste, Pater; res ita mihi  
 arridet ut quam citissime experiri in animo  
 sit. Fingam enim mihi met Virginem ad-  
 stare in schola, atque inde Magistri expla-  
 nationibus animum et aures attentius ad-  
 hibebo.

P. PR. — Optime, o bone vir... sed eccum hoc?  
 jam cesso abire. Pro tua malitia, Antoni,  
 hoc mihi poenarum dabis ut cottidie pro  
 me Mariam ores, dulcissimam Matrem.  
 Nec tamen non possum quin laudem  
 vestrum opus... et carmina etiam,

*Este salutati tempus in omne mihi*

FRAN. — Reverentiae tuae fausta quaeque ad-  
 precamur omnes.

(1) VIÑAS, *Version.* p. 12.



# Bibliographia

SALUSTIO. — *Conjuración de Catilina. Guerra de Yugurta*. Traducción nueva de Manuel Marín Peña y Angel Pariente. (Biblioteca Clásicos Hernando). Madrid, 1950. .

Continet hoc opus novam Hispanicam duorum Caji Sallustii Crispi principum scriptorum conversionem: «De Conjuracione Catillinae, de Bello Jugurthino» Conjuracioni quidem Catillinae 37 annotationes, ut plurimum, brevissimae consequuntur (pp. 65-67); Bello autem Jugurthino 56 majoris sane longitudinis (pp. 191-197). Quae omnes sunt commodae sensus textusque explicaciones, vel relationes quoque ad praecipua horum opellorum manu scripta; sed plerumque artae geographiae, historiae, sociologiae explicaciones. Paucis, antiquioris cultus explorationes

Conjuracioni Catillinae brevis antea eaque accuratior introductio (pp. 1-7), quae huic uni scripto refertur enodando. In qua tempora atque ambitus et historia hujus conjuracionis definiuntur; et expromitur simul positio mentis atque «ideae» Sallustianae de civitate una cum partibus litterisque hujus operis. Cum scriptoris opiniones in introductione tum ipsa conversio hispanica innituntur editionibus Dni. Josephi Emmanuelis Pabón (Clásicos Emérita, Madrid, 1945) et Dni. Alfredi Ernout (Collection des Universités de France, Paris, 1947).

Conversioni autem Hispanicae de Bello Jugurthino, a claro v. A. Pariente exaratae, nulla prorsus intrductio praest: una sese lectori praebet atque nuda fuco et calamistro. Quae tamen rei bibliographicae siccitas cum accuratioribus in fine libri annotationibus compensatur.

Ambae denique Hispanicae conversiones facili quidem negotio leguntur, quae magnae procul dubio his praesertim alumni erunt utilitatis, qui non-

dum in usu habent Latinam linguam. Ex ipsorum vero scriptorum praestantia in provincia linguisticae classicae maxime commendantur riteque Bibliothecam Classicam «Hernando» exornare natae sunt.

JULIÁN MOTTA SALAS — *Odas de Anacreonte*. Traducción directa del griego. Nelva, Colombia.

Libenter equidem accepimus et data opera perlegimus hoc lepidum opusculum, ubi concinna facillique oratione Hispanica omnes, quae exstant, Anacreontis odae convertuntur. Opportuna sane illa Ciceronis verba: «Genus orationis fusum atque tractum». In eo scriptor, de litteris Hispanicis jam bene meritus, et linguae Graecae intimam praebet cognitionem, cujus omnino fidem unoque tenore in suscepta translatione conservare intendit.

Utinam enimvero libello huic, Bibliothecae Scriptorum Huiliensium primitis, et alla ilico opera, in honorem et gloriam hujus modi florentis regionis Columbiana, consequantur. Incepto dumtaxat opus est

Opusculo vero erudita praecedit introductio (pp. I-XII), in qua Dr. Salas litterariam Anacreontis poëtae figuram breviter depingit, non nullis praehabitis notitiis de ejusdem condicione biographica. Praecipue de ejus vivendi ratione Sami et Athenis cum Hipparcho, Pistrati filio, disputat. Atque non nulla, ad extollendam Vatis a Teo praestantiam, de luxu vitae tyranni Polycratis, apud quem Sami carmina et vini et amoris cecinit, adjungenda aestimavit.

Adulescentes praesertim humaniorum litterarum alumni hac translatione et facili commodaque via in veram Anacreontis mentem venient, quibus scilicet libellus maximo opere commendandus. ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

TÁCITO — *Diálogos de los oradores. Agrícola. Germania*. Traducción nueva de Manuel Marín Peña (Biblioteca Clásica Hernando) Madrid, 1950.

En aliud tibi lepidum volumen Bibliothecae Classicae «Hernando», estque de minoribus P. Cornelii Taciti operibus. Tacitus vero est unus ex auctoribus rerum Romanorum, cuius quidem scripta potiora nobis documenta de temporibus Imperii praebent, atque plurimis variisque adjunctis instituti ac sociologiae eorum populorum, qui in media et in septentrionali Europa tunc temporis sub populi Romani Imperium ditionemque cadebant. Hinc sedula talis scriptoris Latini cognitio valde est in optatis his nostris diebus fere omnium qui classici cultus studio impensam navant operam.

Jam vero professor M. Marín Peña, de litteris Latinis apud nostrates bene meritus, hanc nobis scitam Hispanam conversionem trium scriptorum Taciti exaravit. Quae illa sunt opella: «Dialogus de Oratoribus, De vita Julii Agricolae, Germania». Scitamque eam dixi conversionem, quoniam prima jam facie in annotationibus, quae textibus subjunguntur, conquisita interpretis cura apparet. Qui quidem Horatianae vocis amator est: «Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres». Ex quo et lingua Hispanica conversionis perspicua in scriptis ejus modi plerumque difficultibus claret.

In eruditis prooemii explicationibus, quae uni cuique porro textuum antecedunt, scriptor et breviter et nitide eorundem summam non nullaque proprio penu argumenta exponit. Disputat quoque de variis interpretationis quaestionibus deque auctoritate vel attributione, quae philologi et historici recentiores suscitaverunt. Plenam denique notitiam de primis manu scriptis descriptionibusque posterioribus, quae hisce temporibus asservantur, commodat.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

E. LÖFSTEDT — *Coniectanea Untersuchungen auf dem Gebiete der antiken und mittelalterlichen Latinität (Erste Reihe)*: Stockholm, Almqvist et Wiksell 1950.

Novi voluminis in vulgus editio clarissimi scriptoris libri «Syntactica» quasi est princeps in scientia linguistica et philologica eventus. Qui quidem non potest nobis lucubrationes methodicas, easque omnino documentis confertas et locupletiores sensu ac novitate, ut assolet apud magistrum Löfstedt, non promittere.

Hujus modi vero liber triginta admodum argumentis in duas series generave distributis, constat: hinc quippe selectae sunt quaestiones de syntaxi et stilistica (pp. 5-70); hinc autem quaestiones de semantica et lexicologia (pp. 71-133). Tres huic libro indices, illum qui alumno discipulove commodiorem reddant, subjunguntur: index rerum (pp. 134-135); index verborum (pp. 135-136); index locorum (pp. 136-140). Atque postremae operis pagellae (pp. 143-145) praecipuam hac de re litteraturam in bibliographia pandunt.

Summa certe quaestionum vel «problematum» in libro agitatorum satis est diversa variaque, ut possit hic omnino referri. Vide sis, exempli gratia, non nulla argumenta de absentia demonstrativi antecedentis in propositione consecutiva vel in relativa consecutiva; et de constructione vocum *plenus, implere, repletere*; et de usu verborum *sequens, sequenti* ac *praesens, praesenti*; et de constructione vocum *nesse, necessarium* cum ablativo; et de conversione verborum transitivorum in sensum intransitivum (*deferre alicui, praestare alicui*); et de influxu extraneo in usu vocis *alius*; et de usu verbi *venire* pro *revenire, redire*; et de genitivo *talius*, cet.

Minime opus est sententiam hic de lautilis hujus libri, qui «Coniectanea» inscribitur, expromere: auctoritas Dni. E. Löfstedt, qui uno omnium consensu exquisito utitur litterarum iudicio, sese

maxime commendat. Itaque philologus, historicus textuum, linguista ipse utiles poterunt notiones explanationesque de allatis ordine atque via factis in hoc opere haurire.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ C. M. F.

V. G. YEBRA. — *De rebus Hispaniae II*; Editorial Gredos, 1949.

Opusculum *De rebus Hispaniae II* inscriptum tironibus non nulla praebet ex his quae scriptores Romani Caesar, Cicero, Eutropius, Florus, Plinius, Sallustius, Seneca, V. Maximus, V. Paternus de Hispania Hispanisque rebus scripta tradiderunt.

Notulae syntacticae et historicae et vocabularium archaeologicum, in fine operis appositum, textum Latinum collustrant Venustum et sane perijucundum libellum in primis pueris Hispanis qui Bachalaureatus curriculum peragentes in ediscendis litteris Latinis quandam severitatem vident et amoenitatis inopiam.

«Spero —ait auctor— adulescentes nostros, ut vulgo dici solet, una fidella duos parietes dealbare: Latinum sermonem et res Hispanas ediscere».

Ad primum autem quis dixerit majorem scriptorum illorum partem non habere tantum auctoritatis et momenti ut sine ulla religione tironibus optimorum scriptorum sermone imbuendis, velut Latinitatis exemplaria proponantur.

C. ROSSET. — *Phaedri fabulae selectae*. Les Éditions de l'École, Paris.

En aliud lepidum C. Rosset opusculum qui sub ea jucunda ratione: «Doceo narrando — Disces legendo», animo proposuit studia Latinitatis lepore et festivitate condire ut ex his pueri aliquam percipiant voluptatem

Hic libellus qui ad seriem C totius collectionis pertinet viginti fabulas Phaedri colligit, quas dein simplex vocabularium et utilis pueros latine interrogandi modus consequitur.

M. MOLINA, C. M. F.

Prof. Dr JUAN B. LÓPEZ PÉREZ — *Grammatica Latina, de acuerdo a los programas del ciclo Básico*. Córdoba, Argentina, 1952

Grammatica haec nunc primum alumnis primae laureae quam aptissima prodit. Claritate in primis nitet neque supra modum abundat praecipis quae studentium menti officium perturbantque intellectum, at satis amplum Dris. López opus est, quin ea scitu necessaria praetermittantur. Crediderim absolutam edidisse operam si quaedam menda in altera editione tollantur penitus. Ceterum notandae essent typorum varietate verbi unuscujusque significationes, quae res multum ad discendum prodest. Auctori ex animo gratulamur.

H. FRANÇOIS. — *M. T. Ciceronis Cato Major de Senectute liber*. Universidad de Buenos Aires. Instituto de Filología clásica. 1952.

Volumine hoc, quod IX est, series augetur Classicorum quam Universitas Bonaërensis ante hos annos divulgandam optimo consilio suscepit. Ciceronis «de Senectute» librum edendum curavit Dr. François summa rerum cognitione; eum praefatione et notis uberrimis, quae prioris partis centum paginas complectuntur, personarum vitam et dialogi naturam pertractantibus, munit atque illustravit. Uno verbo, opus plenum exegit auctor quod laudes praedicat suas et ingenium commendat.

R. SARMIENTO, C. M. F.



## Pueri, ludite in Schola

Quis ex vobis, pueri, hanc *picturam* aptius interpretabitur?... Rem, quae sequuntur vocabula, facilius *vobis* suppeditabunt.

Qui e certamine victor discesserit, praemio donabitur.

schola

ludus litterarius

magister

ludi magister

grammaticae ludus

discipulus

disciplina

littera

linea

scriptura

stilus

tabella (duplex)

cera

calamus

atramentum

atramentarium

charta

papyrus

capsa

membrana

codices

liber

volumen

volumen umbilico involutum

titulus, index

subsellium

scamnum

sella

cathedra

muneribus fungi

impense operam dare

reprehendere

poena afficere

punire

insectare verbis nugatoriis

flere

memoriter pronuntiare

recitare

scribere

dictare

convertere in Latinum

corrigere

oblivisci

computare

narrare

scire

respondere

attentus

ignavus

aliud agere

conticescere

garrere

ridere

praemio aliquem donare

garrulus

Ordinarii ac Superlorum licentia

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.